DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA,

DE

FEBRIBVS MALIGNIS.

QVAM

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

IO. CAROLO LVDOVICO,

COMITE PALATINO RHENI,

VTRIVSQVE BAVARIAE DVCE, rel. rel.

PRAESIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO AC EXPERIENTISSIMO

DOMINO

PHILIPPO FRIDERICO GMELIN,

MED. DOCT. BOT. ET CHEM. PROF. PVBL. ORD.

SOCC. REG. SCIENT. LOND. ET GOETT. SODALI,

PRAECEPTORE SVO AETERNVM COLENDO,


AD CONSEQVENDOS SVMMOS IN MEDICINA HONORES

D. XX. IVNII A. MDCCLIX.

IN AVLA NOVA HORIS CONSVETIS

DEFENDET AVCTOR

IOANNES FRIDERICVS CONSBRVCH, *Stuttgardianus.*



TVBINGAE, LITTERIS ERHARDIANIS.

Fruſtra cruorem pulſibus incitis
Ebullientem pollice comprimis
Attentus explorare venam
Quæ febris exagitet tumentem.
Fruſtra liquores, quot chemica expedit
Fornax, & error ſanguinis, & vigor
Innatus herbis te fatigant:
Serius aut citius Sepulchro
Debemur omnes, vitaque deſeret
Expulſa morbis corpus in hoſpitum
Lentumque deflebunt nepotes
(Relliquias animæ,) cadauer!
Manes videbis tu quoque fabulas
Quos pauciores fecerit ars tua,
Suumque victorem viciſſim
Subiiciet Libitina victrix.

Ad D. D. HANNES, inſigniſſimum Medicum & Poëtam

IOSEPH. ADDISON, Esq. Miſcellan. Worcks in Verſe and Proſe.



PROLOGVS.

Quam primum animum ad ſcribendum adpellerem, id inprimis curandum putaui, vt ex rebus medicis aliquid pertractandum mihi ſumerem, quod inaugurali ſpecimine haud prorſus videretur indignum. In hoc itaque intentus, ex morborum hiſtoria grauius aliquod momentum ſelegi. Neque id immerito. Ad ſolidiorem etenim eorum cognitionem, & facilem atque tutam curationem, optima quæuis, quæ Theoria tradit, collimant, „ neque propter ſe cætera omnia ad artem ſpectantia, aut diſcimus, aut docemus, aut denique auſcultamus, ſed quod eorum vnumquodque ſit ad finem vtile. *a)* Negare tamen haud posſum, qualemcumque hunc laborem ne meis quidem votis

ſatis-

a) GALENVS de venæſectione aduerſus Eraſiſtratum, cap. 7.



ſatisfeciſſe, non etenim tot virium in me erat, neque tantum experientiæ, quibus id poſſem efficere. Fateor, me ideo quodammodo ſummorum aliquot, in arte medica virorum vſum eſſe experientia, Illuſtris inprimis atque celeberrimi Viri, (cuius nunquam animo meo excidet iuſta veneratio,) B. BRENDELII. Quæ itaque, partim ex facundiſſimo magni Viri ore ipſe accepi, partim e ſolidiſſimis eiusdem ſcriptis hauſi, eorum aliqua ad meos labores transferre non dubitaui, his aliquid inde ornamenti atque ponderis acceſſurum eſſe, probe perſuaſus. Nonnulla inſuper immiſcere placuit, quæ a communi ſententia decedunt, neque tamen, vt puto, absque ratione. Ea iſti diiudicent, quibus potius veritatem vindicandi, quam male ſanis imprecationibus in ſuas ſpeculationes prudentiores cogendi eſt animus. Curationem febrium malignarum haud integram tradidi, neque enim id temporis ratio permittebat, neque, quo minus in maius excreſceret Diſſertatiunculæ moles, cura. Ne tamen omnem curationem neglexiſſe viderer, aliqua de vomitoriis adieci, quæ ad hanc febrium claſſem proxime ſpectant. Denique & id monendum duco, complura me forte dixiſſe, quæ mitiori indigeant diiudicatione, aut ſaltem nullius partis ſtudioſa. Hanc a bonis omnibus facile obtinebo, vtpote in neminem iniurius, reliquos autem neque curo, neque extimeſco.



§. 1.

Quam primum de febribus malignis agere inſtitui, id ante omnia agendum putaui, vt generalior quidam, & rei tractandæ aptus de febribus in genere conceptus præmitteretur, omnem reliquam disquiſitionem tunc commode illuſtraturus.

§. 2.

In deducenda febrium denominatione auctores, vti mos eſt, diuerſas alunt ſententias. Eas nunc omnes & ſingulas perquirere nolo, dico tantum meam, per quam febrem a feruore nomen accepiſſe credo. Hæc deriuatio etenim communi Veterum opinioni reſpondet, qui calorem pro febris eſſentia habuerunt, quum πυρετος & πυρεξις paſſim apud Veteres quamuis febrim ſignificent. πυρ vero vocari apud HIPPOCRATEM febrem, vbi vehementiſſima fuerit, ex GALENO *b)* conſtat.

§. 3.

Symptomata febri, quam maxime communia, ad eius definitionem inprimis ſunt apta. Nulla autem deprehendimus, quæ magis ea dici mereantur, præter calorem, horrorem & frequentem pulſum. Febrem itaque haud incongrue definimus per morbum horrore, calore & celeri pulſu conſpicuum. *c)* In omni febre a cauſſis internis orta hæc adſunt.

§. 4.

Vbi nunc dicta (§. 3.) ſymptomata velociter & cum periculo decurrunt, ibi febris *acuta* eſt.

§. 5.

b) Comment. 3. in Epid.
c) BOERHAAVII Aphorismi, §. 563. & Comment. Ill. v. SWIETEN in h. Aph.



§. 5.

Febrium acutarum initium a primo algore recte deducimus. Longiſſima earum duratio ad vigeſimum diem circiter poteſt æſtimari. Complures acutæ intra hunc terminum finiuntur, & paucæ ad aliquot dies eundem excedunt. Obſeruationes quidem proſtant de acutis, ad duos menſes ſeu vlterius productis, & ipſe *d*) HIPPOCRATES earum nouiſſimum diem ſexageſimum demum eſſe poſſe contendit, ſed numquam vna eademque acuta, in tantum producetur, aderit potius ſeries acutarum ex imperfecta criſi ſe ſe excipientium, quarum initium ſemper nouo algore erit notatum. Nos itaque partiales has febres cum GALENO acutas dicimus, ſed integram congeſtionem diuturnum morbum recte appellamus.

§. 6.

Febres *malignæ* a fallaci atque peruerſa ſua indole nomen ſuum accepiſſe videntur, & hac ratione quoque ab acutis quam maxime differunt. Ex leuibus etenim, & nil mali, vti videtur, minantibus initiis, breui tempore in maximi diſcriminis morbos exſurgunt, mortemque vtplurimum inopinato & inter ſymptomata mitia ad conſpectum, ſed præter opinionem grauiora afferre ſolent; peſſimorum hominum in morem, qui amica fronte aliorum interitum eo tutius machinantur. Quos autem viuos dimittunt hæ febres, ad varios tamen morbos chronicos deducunt. Symptomatum inſuper ea eſt praua conditio, vt, neque inter ſe, neque cum morbi temporibus conſentiant. Quam maxime malignas febres quarto die vel citius in mortem deſinere

d) In Prænot. XLI.

finere HIPPOCRATES auctor eſt. *e)* Sed licet non negemus dari tales, potior tamen pars longius tempus aſſequitur, & non raro poſt varias febres per imperfectam criſin ſe invicem excipientes, aliquot demum hebdomadibus terminantur.

§. 7.

Si ad vetuſtiſſimos artis noſtræ viros aſcendimus, videmus ſane *Paraphrenitides* ipſis eas febres fuiſſe, quæ nobis malignæ ſunt, neque iſtas vllis exceptionibus a malignis diſtinxiſſe. Eo itaque nomine adhucdum vti poteſt, cui recentior denominatio minus placet. Malignæ forſan iisdem Paraphrenitides dictæ ſunt, ob deliria, his æque frequentia, *f)* ac phrenitidi, licet magis ſint taciturna, rarius furioſa, niſi vera phrenitis ſymptomatice ſuperueniat. GALENI tempore demum Paraphrenitidis definitio ad inflammationem diaphragmatis relata videtur. Phrenitides Hippocratis cum malignis noſtris pariter conueniunt, qualescunque etenim acutæ, cum præmatura mentis perturbatione coniunctæ, ipſi phrenitides vocatæ ſunt, unde in epidemicis hiſtorias legimus phrenitidum, quæ a noſtris malignis nullo modo differunt. Latius itaque accipiendas eſſe iſtas cenſemus, ipſo GALENO conſentiente, *g)* quam pro ſola tantum vera phrenitide.

§. 8.

Cadauera ex his febribus defunctorum circa hepar lienem, tendinoſas diaphragmatis portiones, cor, pulmones,

e) Coacæ Prænotiones. 122.
f) Forſan Diaphragmatis inflammationem, adeo frequentem in his febribus, in cadaueribus conſpexerunt, & inde deſumſerunt ſuam denominationem?
g) Commentarius 1. in I. Prorheticorum.

nes, inteſtina, omentum, meſenterium & alias corporis partes, varia exhibent, quæ huc prorſus ſpectant, phænomena. Atque, vt aliqua eorum hic adducamus, omentum ſæpe bile atque cruore perfuſum obſeruatur; lien pariter bile tinctus, maculoſus nonnunquam, interdum durus. Hepatis concaua pars plerumque tractibus luridis, diverſisque maculis, ſatis ſæpe profundis occupatur, conuexa interim parte, aut illæſa, aut tantum nimium rubente, id quod ipſe vidi in homine petechiali febre defuncto. Veſicula fellea bile atrouiridi, flammea & vehementer fœtida, interdum autem oleoſa, pingui ac craſſa referta eſt, aut nimium diſtenta. Tendineæ diaphragmatis portiones cruentis extrauaſationibus notantur, meſenterium autem & ventriculus cum omni inteſtinorum tractu exterius nonnunquam bile largius tincta reperiuntur, flatuque turgida, tetra inflammatoria colluuie ſcatent. Omittimus alia, quæ in cerebro, meningibus, aliisque corporis partibus reperiuntur inflammatorii generis phænomena.

§. 9.

Quodſi hæc, quæ diximus, penitius perſcrutamur, de præcipua ſede his febribus aſſignanda ſolliciti, negare non poſſumus, eam pro noſtra ſententia, ſi non ſemper, certe utplurimum, in viſcera chylificationi ſeruientia, præcipue hepar, &, quam continet, bilem eſſe reponendam: Vnde per conſenſum paris vagi neruorum, & intercoſtalis, complura ſymptomata absque dubio naſcuntur, quorum ideo potior pars e ſpasmorum genere erit conſenſualis. Quid autem qualecunque illud ſit, quod iſtas corporis partes in tantum afficit, & vim motricem tam ſubito, tam valide proſternit, id ſane ignoramus, quo enim nomine illud expli-

plicabimus, quod omnes ſenſus adeo fugit, neque ulli experimentorum induſtriæ poteſt ſubmitti?

§. 10.

Cauſſa remota harum febrium uniuerſalior quædam eſt, quæ vel in aëre hæret, vel in victu, vel etiam in ipſius loci conditione. Semper enim aut epidemicas eſſe has febres deprehendimus, aut endemias, rarius ſporadicas. *Epidemicæ* febres *malignæ* ſunt ſpeciei conſimilis, in plures eodem tempore ſæuientes. Id agunt communem quidem ob cauſſam, ſed quæ loco, in quo graſſantur, perpetua non eſt. Harum itaque cauſſa, neque fixa eſſe poteſt, neque vt in endemiis morbis, loco inquilina. Omnes autem, quot quot ſunt epidemicæ malignæ, & exanthematibus exaſperantur, & contagium ſecum ferre conſuerunt. Febres *endemiæ malignæ*, a propria, iſtius quo reſident loci, aut prouinciæ, rerum non naturalium, conditione, aut a recepto ibidem vitæ genere, ſunt deducendæ. Exempla eſſe queunt, febris Hungarica, peſtilentialis, Sudor Anglicus, & aliæ huiusmodi febres. Quæ *ſporadicæ* ſunt e *malignis*, iſtas tum temporis deprehendimus, quo & alii, non eiusdem indolis morbi per populum ſunt frequentes. Cauſſas igitur ſingulares habeant neceſſe eſt, ſingulis priuatas corporibus. Paullo mitioris quum ſint vtplurimum indolis, non tot mortalium præcipitant, quam quidem epidemicæ. Commoda eſt malignarum huius claſſis diſtinctio in ſporadicas ſolitarias, (neque contagioſas, neque exanthematicas,) & in iſtiusmodi ſporadicas, quas & exanthemata diſtinguunt, & contagium. Harum tamen, quod monemus, contagium, anguſtiori in ambitu vagatur, nec facile vltra eos, qui proxime cum ægroto verſantur, progreditur.

§. 11.

Aëri in epidemicos morbos præcipuam vim esse, notum est. Is autem aër febribus malignis inprimis est opportunus, quem exhalationes ex aquis stagnantibus atque corruptis, aut ex re qualicunque putredinosa, turpem reddiderunt. Pari censu venit aër australis *h*) humidus, calidus, nebulosus nullis patens ventis. Æstate quoque diutius sicciori si insequente autumno borealis ventus spirat, idem euenit. In genere autem mutatio quæuis tempestatis vehementior atque improuisa, vti pessimis morbis, sic & his febribus quam maxime est commoda.

§. 12.

Aquæ paludosæ, stagnantes, putridæ, & compluribus aliis morbis, & his inprimis febribus facilem præbent originem, eas iam ipse Parens Medicinæ HIPPOCRATES, mortalium corpora corrumpere dixit. Istæ etenim putredinis animalis fœcundum sunt seminarium, & inde consimilis indolis effluuiorum spissam in aërem emittunt copiam. Probe itaque de publica utilitate sunt meriti, qui suaserunt, vt locis, circa quæ magna est istiusmodi aquarum copia, exsiccatione prospiciatur, id quod multum Romæ proficuisse clarissimus LANCISIVS testis est. *i*) Per eandem rationem inundationes fluuiorum tantum noxæ ferunt, &, vt rei exemplum habeamus, ipsa pestis Ægypto ex inundationibus Nili videtur endemia. *k*)

§. 13.

h) Calido atque humido simul sumptis, partes animales nil magis destruit. Sub hac aëris conditione dirissimus morbus, teste HIPPOCRATE (Epidemicorum 3.) ciuitatem Abaton deuastauit, per cuius sæuitiam quibusdam pedes & brachia deciderunt.

i) Vide eius Tractatum de noxiis paludum effluuiis. p. 13..

k) Conferatur BAGLIVIVS: Certa, iste inquit, Romanorum obseruatione

§. 13.

Inter cibos eos quam maxime ad pessimos morbos corpora parare scimus, qui putredini sunt propiores, aut qualitercunque degenerantes. Huc referre possumus, carnes animalium antea aegrotantium, nunc facile putrescentium, fructus corrosivo rore, aut insectorum infectos seminio. Neque minus cibos, qui per suam naturam sunt calidi, aut vehementer aromatisati, duri, crudi, dyspepti, inconsueti, dum largius assumuntur. Inter potus putrida aqua quam maxime nocet, nocet etiam vini & aliorum spirituosorum potuum, aut calidorum, atque simul aromaticorum abusus. De Caffee autem inprimis constare volunt, quod ex eo tempore, quo nimius eius vsus esse coepit, exanthematicae febres mali moris, praecipue purpura, obseruentur frequentiores. *l*)

§. 14.

Diximus (§. 10.) complures malignarum febrium esse contagiosas, de contagio itaque aliquid hic differendi, non ineptus erit locus. Commode contagium per qualemcunque

tione constat, post ingentes Tyberis inundationes, oriri febres epidemicas in vrbe valde graues ac perniciosas. Praxeos Medicae L. I. p. m. 51.

l) Id inprimis contendit illustris HOFFMANNVS, vti videre licet in Medicinae rationalis Systematicae T. IV. P. I. S. I. C. IX. §. 12. & eiusdem T. IV. Parte V. C. III. §§. 29-34. atque in illius Dissertatione de purpurae genuina origine indole & curatione, respondente STEPHANO MACKIO habita, 1725. Auctoritas tanti viri complures recentiorum in eandem sententiam pellexit. Fuerunt tamen, quibus contrarium asserere placuit, neque sine graui ratione. Huc referendi inprimis sunt clarissimi viri NEVMANNVS, SCHARSCHMIDT & GERICKE, quorum cogitata solidissime expendit Praeceptor quondam noster adhucdum pie colendus B. D. GMELIN, in egregia Dissertatione de febre miliari, Tubingae 1752. habita.



que materiam morbificam definiri poteſt, quæ in alia incidens corpora animalia, morbum conſimilis ſpeciei in iis producere valet. Ideo neceſſe erit, vt ipſi ſpecificam adſcribamus indolem, nunquam etenim alios, niſi quidem ſui generis vel ſpeciei produxit morbos. Idem illud, ſi in animalia deſæuit, non facile extra eiusdem generis animalia extrauagatur. Aërem liberum pro qualicunque praua ſua conditione, corpora ad contagium facilius recipiendum poſſe præparare vtique certum eſt, num autem iſte contagium ex vno corpore in aliud poſſit transferre, de eo liceat adhuc dubitare. Peſtis etenim ex oriente, an vmquam, niſi mercium ope ad Europæa littora translata eſt? id inſuper per experientiam conſtat, finitimos iis vrbibus, in quibus peſtis ſæuit, pagos, dummodo foſſis atque excubiis de omni commercio, cum afflictis locis ſibi bene proſpexerint, integros permanſiſſe. Annon itaque contagium, immediato aliorum corporum contactu potius propagatur? Etenim, licet non ignoremus, contagioſum morbum frequenter latiore ſenſu ſumi pro omni epidemico, & vocabulum contagii denotare multis materialem morbi cauſſam per atmosphæram plurimis communem diſperſam, adeoque facile multos afficientem, & eosdem in morbos præcipitantem ſimul, ſi eundem hauriant aërem. Alia tamen contagii anguſtior ſignificatio merito hic noſtram ſibi vindicat attentionem, qua proprie tantundem ſibi vult, ac infectio, quæ non aliter accidit, niſi per contactum immediatum corporis ægrotantis & ſani, vel certe materiæ, aut primarium morbum conſtituentis, aut ex eo generatæ, vel immediatum, vel mediatum.

§. 15.

Inter *ætates*, iuuenilem, adultam atque virilem febribus

bus malignis frequentius affici eſt obſeruatum. Ex *temperamentis* autem ſanguineum & ſanguineo - cholericum præcipue hic accuſanda cenſemus. Cæterum homines plethorici, cacochymici, & quibus laxior eſt corporis habitus, ſæpius quoque ſic ægrotant. Neque ii reticendi ſunt, quorum vires crebra ebrietate, nimiaue venere, aut longa fame ſunt labefactatæ. Idem monemus de iis, qui hypochondriaci ſunt, & vitæ ſedentariæ aſſueti. Grauius etiam laborant, atque difficilius emergunt, qui nuperrime viſcerum, præcipue hepatis aliqua labe affecti, maligna nunc febre corripiuntur. In puerperis vti conſtat, purpura alba præ aliis frequentior eſt. *m*) Denique & omnes, quorum animus vehementioribus commotionibus facilius patet, meticuloſi præcipue atque iracundi, ſæpius malignis febribus decumbunt.

§. 16.

Haud incongrue diuidi poſſunt malignæ omnes, in tales, quæ priuato corporis vitio ſunt enatæ, & in eas, quas epidemicus ſtatus, vel contagium intulit. Illarum initia lentiori gradu procedunt, etenim ſic ægrotaturi de aliqua laſſitudine grauatiua *n*) aliquot ſæpe hebdomades, antequam

m) Quod de puerperis, purpuræ albæ inprimis opportunis, clariſſimus WERLHOFIVS monet, omnino hic locum meretur. Vix vidi, inquit idem, in puerperis, purpuram illam, (albam putat,) niſi, vbi difficilius extractam ſecundinam percepi. (Obſeruationes de febribus pagina mihi 294.) & in vlteriorem rei probationem adducit ibidem clariſſimi FVCHSII obſeruationem, de ſphacelo vteri frequentiſſima mortis puerperarum cauſſa, vbi hic pariter purpuræ ac mortis ex auulſa ſecundina exemplum recenſet.

n) Iſtiusmodi laſſitudines veteribus ſpontaneæ vocabantur, id eſt, tales, quæ a nullo graui labore, vigiliis nimiis, aut alia tali cauſſa euidente ſunt productæ: ad eas olim penitius attendebatur quam nunc, & in varias



quam morbus fit confpicuus, conqueruntur, animo funt morofiores, infomnia turbulenta habent, vigiliæ, aut inuitis ipfis diutius producuntur, aut intempeftiuæ fomni cupidines incidunt. Si quid antiquæ fluxionis, fiue arte productæ, fiue naturalis, vti per fonticulos, pedum fudores, fluores albos & confimilia adfuit, id nunc folet ceffare. Produnt fe contra variæ & plerumque exiguæ fanguinis fluxiones, quales funt paucæ fanguinis ex naribus decidentes guttulæ. Per corpus & artus dolores varii percipiuntur, in quibusdam ftabiles, fugaces in aliis. Capiti etiam fugitiuus atque obtufus dolor ineft, aut fronti fæpe aut occipiti infixus, cum leui vertigine. Aluus minus conftans eft, nunc lubrica nimis, nunc ficca atque tenesmodes, ipfe corporis habitus atque vultus, fpafticis atque fubitaneis viciffitudinibus diuerfimode mutantur. Omnibus autem id commune eft, vt fub initio horrorem percipiant, qui primis diebus inordinatis acceffionibus redire confueuit, vefperi tamen inprimis perfentitur. Et qui hos horrores percipiunt, dummodo alia fimul infint fymptomata, eos iam malignæ febri implicitos effe cenfere poffumus. *o*) Interdum contra vulgarem malignarum indolem ex profundo rigore, qualis intermittentibus effe folet, febres hæ initia fumunt, fed, qui ipfum fequitur calor, non æque vehemens eft, exiguus potius, & crebris horroribus interruptus, peffimæ febris indicium. Porro tum oculis triftior afpectus eft, minus candidi funt atque puri, & variæ

varias difpefcebantur claffes. Vide GALENI Commentarium in HIPPOCRATIS Aph. L. II. A. 5.

o) Recte ideo HIPPOCRATES: qui fubinde inhorrefcunt, & fæpe tenui fudore corripiuntur, ii maligne habent. Coac. Prænot. I. 13. conf. 36.

variæ imagines illis obuerſantur. Sæpiſſime ſic decumbentes catarrhali aliqua febre ſibi videntur laboraturi, tum & tuſſiculam habent, & oculi ſeroſum liquorem fundunt, & coryzæ adſunt qualiacunque ſimulacra. *p*) Fauces atque lingua, præcipue matutino tempore ſicciora ſunt, hæc ipſa vtcunque albicat, labiis etiam quædam ſquamoſa ineſt ariditas. Appetitus deiectus eſt, interdum inconſuetus, nauſea inſuper adeſt, & præcordiorum anxietas, cum colici doloris ſimulacro. Qui tunc conſpici poſſunt ſudores, peſſimi moris ſunt, intempeſtiui vtique, fugaces atque particulares, *q*) in capillitio, dorſo, clauiculis aut fronte potiſſimum apparentes. Quæ autem ad ſecundam claſſem pertinent febres, multo acceleratius oriuntur, & ſubitanea magis virium proſtratione, grauiusque vrgentibus ſymptomatibus ſunt conſpicuæ.

§. 17.

In vlteriori harum febrium progreſſu complura alia apparent ſymptomata, quorum tamen aliqua iam ſub initio ſæpe adſunt, quæ nunc dicemus. Os ex calore interno aridum ſæpe eſt, atque propter bilem amarum, alias aphthis quoque obſitum, aut viſcido obductum muco. Lingua aſpera eſt, fiſſa, puſtuloſa, in quibusdam ſupra modum tumens. Nonnumquam lacteo quaſi colore in anteriori parte perfuſa videtur, vtroque latere interim rubente. Neque tantum lingua ſæpe inflammata eſt, ſed & quæ ipſi proximæ ſunt partes. Dentes in multis liuent, aut aridi ſunt,

p) Absque dubio ex his ſymptomatibus deducendum eſt, cur tot malignæ ad catarrhales malignas referantur, quæ tamen ſæpe longe alius ſunt indolis. Cauendum quoque, ne malignæ huius claſſis, ſub initio, ob mitia ſua ſymptomata, pro catarrhalibus benignis habeantur.

q) Coac. Prænot. 42. Prognoſt. 24.



ſunt, quod non immerito ex vitio viſcerum abdominalium ortum eſſe, voluit HIPPOCRATES. *r*) Oculi in aliis concaui ſunt, in aliis protuberantes, aut feroces atque ſplendidi, vti phreniticis. Subinde album eorum intenſius rubet, aut ſtigmate ſaltem rubicundo eſt notatum. Aures tinniunt, dolent, aut plane obſurdeſcunt, id quod, quemadmodum inter mala ſigna pernicioſi quid eſt, ſic inter bona nil exitii portendit. Ea enim ſurditas ſæpe poſt febres, ceu multæ aliæ metaſtaſes per aliquod tempus eſt continuata. Subinde & deglutitio moleſta fit, & fugitiui ſpasmi laryngem atque œſophagi caput obuerſantur. Sitis in his febribus plerumque intenſiſſima eſt, nonnunquam calore non obſtante nulla, quod vtique pro graui ſigno habendum. *s*)

§. 18.

In pectore interiora æſtus perurit, circa præcordia vehementiſſimus dolor ſentitur, & anxietates grauius vrgent. Quibus inprimis fit, vt inconſtantes admodum ſint ægroti, & locum ſemper mutare velint. *Reſpirationum* diuerſimodæ ſpecies obſeruantur, huc referri poteſt reſpiratio illa ſublimis in febribus quibusdam malignis, vbi is ſtupor, quem Catochum Aetii vocant, cum reſpiratione anhela ad mortem tendit, obſeruari conſueta. Alia eſt reſpiratio, quæ imminente delirio inprimis apparet, ſub ea inſpiratio nondum ad finem perducta, ſubinde quaſi ſpasmo intercepta, ſubſiſtit, inſequente mox alia breui inſpiratione, quam longa dein & tremula ſequitur exſpiratio & viciſſim. Interdum

r) De interioribus affectionibus XXXIV. & ex eo CELSVS p. m. *62*.
s) In præcipitibus malis, ſi ſitis temere, ac præter rationem ceſſat, malo eſt, Prædict. I. 57.

terdum hæc exſpiratio ſub vigoribus malignarum, & comate vigili, & ſic pariter inſpiratio, quaſi intercepta, cum ſingultu, tuſſicula, & ſonoro coniungitur ſuſpirio. In malignis peſſimæ notæ alia ſingularis reſpiratio interdum obſeruatur, quam planctuoſam dixit HIPPOCRATES. Bene eam GALENVS reſpirationi puerorum comparat, cum flere deſinunt. Æque mala eſt reſpiratio, in his affectibus circa mortem, ſi ſtupor ſimul adeſt, haud infrequens, ſub ea thorax modo vehementius, vt in anhelitu, modo tarde atque debiliter mouetur, ſpiritusque propulſis efflatur labiis. Atque vt alias prætermittamus, dicimus ſaltem, eas omnes reſpirationes fere ſemper lethales eſſe, quæ frigidam auram, per os atque nares emittunt, cum alarum naſalium motu, inprimis ſi ægroti ſimul tacite deliri ſint, atque ſtupore obruti. In ſtupore tamen illo AETII, tepida exſpiratio inter frigidiuſcula extrema, ſub pulſu pleno & molli, ſiue tardo, ſiue celeriori paullo, non adeo deſperata eſt. Quæ in corde obſeruatur palpitatio ea peſſimis malignarum præcipue eſt frequens. Vomitus bilioſi intra initium harum febrium iam incidere ſolent, aut ſaltem niſus, ad iſtos, cum maxima nauſea, *t*) & ſæuiſſima ſæpe cardialgia. Hæc cardialgia, ſemper aliquid momenti habet, magis tamen ſi ſerius adeſt. In artubus, dorſo, lumbis atque aliis partibus dolores percipiuntur, quos rheumaticos vocarunt veteres, dubitamus tamen, num non

t) Monendum eſt vomitus iſtos bilioſos inter initia morbi incidentes non malæ notæ eſſe, ſed potius molimina naturæ in ſuas vindicias. Sed, qui poſtea fiunt, per incrementa ad vigorem vsque, hæterogenea varia, atra, fuſca viridia, quin etiam ingeſta non immutata eiicientes, niſi id per faſtidium & mente integra fiat, illi peſſimi ſunt, & peiores ſemper, quo plura mala ſymptomata ſimul adſint.



non potius pro ſpasmis ex primis viis conſenſualibus ſint habendi. Sub initio morbi iam ſæpe tremor manuum obſeruatur, in carpis tendines leuiter contrahuntur, & muſculi per varias corporis regiones palpitant, poſthæc grauiores conuulſiones ſuperuenire conſuerunt, nunc particulares, nunc vniuerſales.

§. 19.

Sed, quam ſollicite hîc notandam cenſemus, eſt illa exulceratio gangrænoſæ quodammodo indolis, circa os ſacrum, coccygis, criſtam poſteriorem oſſis ilei vel trochanterem maiorem oſſis femoris huic morborum generi adeo conſueta. Ea pro lethali ſigno haberi poteſt, ſi iam ſub primis febris diebus apparet, minus autem ſi ſerius ingruit, tum potius diuturnum morbum ſignificat, atque metaſtaſeos cuiusdam ſeu vlceris naturalis indolem habet, reliquias morbi exhaurientis. Melioris etiam iudicationis eſt, ſi non ad ipſa oſſa profundius deſcendit, ſuperficiem magis tenens, atque in ſuppurationem prona, pus bonæ notæ fundit. Exinde capere poſſumus, nullo modo hanc exulcerationem, pro ſimplici intertrigine eſſe habendam, licet quidem locus eruptionis, in eo latere fiat, cui ægri crebrius incumbunt, atque id ex cl. BRENDELII experientia nobis conſtat, poſt tempeſtiue adhibita veſicatoria, etſi diutule vix adhuc ſuppurent, multo rariores fieri eiusmodi metaſtaſes, natura tunc potius per factas exulcerationes ſe ſe exonerante.

§. 20.

Inſuper & circa ſomnum, & circa vigilias multa hic deprehenduntur, quæ in ſtatu ſano non ſunt. Complures

et-

etenim malignarum, inprimis peſſimæ, *u*) aliquid ſoporis, vel ſtuporis iam ſub initio oſtendunt, atque ſimul taciturna deliria ſecum ferre conſuerunt. Peruigilia potius in incrementum morbi aut eiusdem vigorem incidunt, atque manifeſtiora exhibent deliria. Quorſum & prouti cum aliis ſignis adſunt, conuulſiones indicare posſunt, *x*) referre debemus aliud peruigilii genus, (quod Coma vigil appellant, & verus ſtupor eſt,) in vigores malignarum quam maxime incidens. Sub eo æger taciturne delirans quietus iacet, interdum dormientis in modum, attamen vigilans. Diuerſus ab hoc ſtupor eſt, CATOCHVS iſte AETII, *y*) in incrementa harum febrium, aut vigorem haud rariſſime incidens, & diuturnitatis potius morbi, quam proximi exitii index. Soporum rationem ex ipſa

u) Febrem cum ſopore HIPPOCRATES absque exceptione malignam dixit. Prædict. I. 74.

x) Peruigiles, cum aliis ſignis, in conuulſionem tendunt. Coac. 20.

y) Quem elegantiſſime deſcribit L. VI. C. 4. Medium quoddam, inquit ibi, inter phrenitidem & lethargum obſeruabis genus affectionis, delirii ſcilicet ſpeciem leuiorem ex humore potiſſimum atrabiliario, leuiorem lethargo. Similes videntur dormientibus, habent autem nonnihil apertas palpebras, & ſubinde nictant, aut aliquid, fixis quaſi palpebris & immobilibus oculis aſpiciunt. Si quis manum oculis admoueat, myopum inſtar palpebras contrahunt. Sine voce ſenſuque ſunt, non audiunt, non reſpondent, manus ſubinde capiti admouent oculis item & naribus, has quaſi ſcalpturi. Pulſus parui, tardi, nonnihil intermittentes: reſpiratio modo crebra, modo rara. Per interualla profunde inſpirant, vehementius exſpirant viciſſim. Alui vrinæque interceptio eſt, non præ ſiccitate, ſed quia non ſentiunt. Canthis oculorum ſiccæ adhærent lemæ. Nonnumquam proximo parieti ſeſe admouent: vtque paucis dicam, neque phreniticis omnino ſimiles ſunt, neque lethargicis.,, His adiici poteſt plerumque ægros inprimis extremis quodammodo frigere, tum etiam ſaliuam illis immodicam eſſe. Conferantur vtique Diſſertationes de Phrenitide & Lethargo, ſub præſidio Illuſtris BRENDELII habitæ.

ipſa cerebri preſſione, vti vulgaris fert ſententia haud facile poſſumus deducere, potius hic & ſpaſtici quid ſubeſſe, & ex imo ventre conſenſualis negare non poſſumus. Ægros enim per data vomitoria ex ſopore ſuo expergefactos, haud rariſſime vidimus, atque ipſa aluum ducentia idem ſæpe præſtant. Quo & illud HIPPOCRATIS referendum eſt: ſopore, laſſitudine, ac ſurditate tentatos, aluus erumpens, & ad iudicationem rubra demittens iuuat. z) Deinde infantes hydrocephali, diu ſine ſopore ſupereſſe ſolent, neque facile eo, niſi ſub proxima morte premuntur, alias potius peruigiles ſunt, atque creberrimis vagitibus moleſti. Neque ignoramus, ſoporoſos homines, vtplurimum excitari poſſe, & reſpondere, interdum & aliqua ſponte ſua flagitare, atque licet quidem caro oppreſſi, excitari nequeant, ſcimus tamen ſic decumbentes, vehementius irritatos euidentia percepti ſtimuli exhibere indicia. *a*) Quo nomine autem hæc omnia & complura alia, ex preſſione cerebri, per humores, extrauaſatos explicari queant, id ſane, nullus perſpicio?

§. 21.

Deliria malignis febribus tam frequentia, in iisdem præcipue mala ſunt. Etenim iam ſub initio morbi inſomnia vtplurimum turbulenta incidunt, & breui poſt taciturna deliria. Hæc vtique malæ ſunt indolis, vtcunque tamen

z) Coac. 182.

a) Addere poſſemus & alia. Neruorum ventriculi atque inteſtinorum in omnes partes corporis imperium, notiſſimum eſt. Vermis reptatu ſuo atque arroſione laceſſens neruoſas has partes, quoties iam conuulſiones prouocauit! Hernia ſuffocata haud raro ſubitam mortem, & ante mortem ſæpe omnia grauius affecti cerebri ſigna exhibuit. Opium ingeſtum, in ventriculo adhuc contentum, ſolutum vix, omnes dolores ſedat, nimias euacuationes ſiſtit, ſomnum inducit. Taceo alia.

tamen melioris, quam ea, qua diuturnas excipiunt vigilias, aut veræ Phrenitidi interſunt, aut primis diebus ſuperueniunt. *b)* Reuera & harum febrium deliria, potiori ex parte ſunt ex imo ventre conſenſualia. Id vero docent, tot ſigna antecedentia ſpaſticæ originis, (quorum potior pars ex coacis peti poteſt,) & leuata tam ſæpe deliria vel intercepta poſt vomitum corruptæ bilis, aut laxiorem ſolummodo aluum. Nec leuamen adeo euidens poſt data euacuantia, (venæſectione cæteroquin non neglecta,) aut poſt naturalem ſomnum, contingere poſſet, ſi tum in cerebro inflammatoria ſubeſſet cauſſa. *c)*

§. 22.

Pulſus malignarum non in omnibus idem obſeruatur. Haud raro ſub primis diebus naturalis eſt, & ſanorum pulſui vsque adeo ſimilis. Miror ſane, qua ratione fieri queat, vt ſub tantæ prauitatis febribus, ſub tot grauius affecti neruorum ſyſtematis ſymptomatibus, pulſus tamen per conſpicuum tempus, naturalem ſtatum adhuc conſeruare queat. In multis alias pulſus debilis eſt paruus, aut frequens atque ſimul inæqualis. De ſoporibus notare debemus, quod tardus & ſimul plenus pulſus iis admodum vſitatus ſit, & quod in comate vigili, dum in febris vigorem incidit, is celerrimus obſeruetur. Notatur inſuper nonnumquam ſub hoc febrium genere pulſus iſte caprizans GALENI, qui dicrotus

b) At ſi febrium initiis delirium ſuccedat, aut aliquod membrum ſideretur, de hominis morte exiſtimatio facienda eſt, niſi aut prorſus optimum aliquod ſignum ſuperuenit. Prædictorum II. 85.

c) Euidens quoque exemplum eſt, deliria vehementiſſima eſſe poſſe, absque cerebri inflammatione, quod Illuſtr. BRENDELIVS ſe ipſum vidiſſe ſæpe teſtatus eſt. Nimirum in cerebro hominis ex morſu rabidi canis Hydrophobia ſublati, ne quidem veſtigia inflammationis iſte obſeruauit.



dicrotus quasi est, cum intermittente coniunctus. Pulsus intermittens, quem adeo lethalem esse iuuenibus, GALENVS auctor est, in febribus malignis iisdem non talem se praebet. *d*) Potius id demum quando arteriarum ictus aegerrime explorari possunt, vt pulsus plane videatur abolitus, pro lethali signo erit habendum. *e*)

§. 23.

Sed *vrinarum* quoque varia est ratio. Sub initio saepe sunt naturales, aut subrufae atque turbidae. Alias praematuram coctionem affectant, dum primis iam diebus sedimentum deiiciunt, posthaec iterum crudae euadentes. Quae ruberrimae minguntur, eae post aliquot tempus nigredinem induunt, diuersam ab illa, quae a cruore venit. Tales cruentae vrinae haud raro apparent, & dummodo magna satis copia emissae sint, inter bona signa, salutem ferre queunt, leuamen naturae, per speciem haemorrhoidum sistentes. Admodum frequens etiam est hisce febribus, vrina illa aquosa, veteribus splenica dicta, quae diutius producta morbi diuturnitatem potest denunciare, semper malae notae est, quum & viscera abdominis spasmodice affecta, & summam cruditatem denotet, sed eo peior, quo diutius durat, aut quo serius incidit, neque tamen illae maiorem laudem merentur, quae, licet turbidae mingantur, diutius asseruatae sedimentum nullum praebent, aut praecipitatae quidem, nunquam tamen fiunt pellucidae. Vrina pinguis & oleum quasi in superficie sustinens, colliquationem humorum, & febrem inde lentam consequuturam portendit. Eiusdem iudicationis est, quae pro assum-

to

d) V. RIVERII Opera. p. m. 536.
e) TORTI in Therapevtice speciali. L. III. C. I. p. m. 181.

to potu, nimia copia emittitur, neque febris imminutionem secum fert.

§. 24.

Sanguis in malignis plerumque sano similis est, serius missus, inflammatoriam crustam habet, variis coloribus flauis, luridis, viridibus, per tractus variegatam. Alias primis iam diebus crusta adest, pleuritica isti adeo consimilis. In serius misso sanguine, serum vtplurimum copiosum reperitur, flaui coloris & liquidissimum, purpura interim in medio atra est, inaequaliter liquida, grumosa, nil veri coaguli habens, quasi omnis sublata esset cohaesio. In stupidis & soporosis malignis plerumque grate rubet, superficiem concepturus nitore quodam splendentem, quasi vernice obductam, insimul purpura solidior apparet, aequabilior, gelatinosa, naturali simillima. Interdum in malignis sanguis tam spissae consistentiae reperitur, *f*) vt vasa, in quae emissus conseruatur, licet inuertantur, ne quidem guttulam eius emittant, atque idem sanguis dummodo per breue tempus in vase substiterit, ad fragiles vsque lamellas exarescit, neque ideo mirandum erit, ex his febribus defunctos, toties sub sectione, polyposas sanguinis concrescentias, in corde & maioribus vasis sub sectione praebuisse. In aliis contra per exanthematicas malignas sublatis, sanguis potius admodum floridus atque fluxilis est obseruatus.

§. 25.

f) In obseruationibus de aëre & morbis epidemicis Plymuthi per IOH. HVXHAM institutis, euidens exemplum prostat. In vehementi enim Paraphrenitide, sanguis magis, quam in vllo forsan alio morbo, densus atque glutinosus ex vena multoties secta, semper effluxit, ita quidem, vt in sic affecto homine, intra quatriduum sex vicibus, centum fere illius vnciae detractae, tenacem hanc indolem, vsque adeo seruarent, vt crassamentum illud instar corii scalpello vix posset dissecari.



§. 25.

Hæmorrhagiæ in malignis ſæpius malæ ſunt. Omnes, quæ cum ſumma virium proſtratione fiunt, hanc notam habent. Damnandus pariter eſt, vt diximus, iſte ſanguis, qui exiguis guttis e naribus ſtillat. Interdum & ſputi cruenti veſtigia ſub initio inter pleuriticorum dolorum laruas adſunt. Sanguineus mictus, ſi copioſus eſt, & per complures dies continuatur, pro bono cenſendus erit, naturæ etenim leuamen, per veſicæ hæmorrhoides denotat. Generatim autem aſſerere licet, omne ſanguinis profluuium, quod exigui ſudores, perfrigeſcentia, ſurditas, ſingultus, conuulſio, horror, rigor, ſopor, deliria, nigræ g) aut prærubræ alui deiectiones inſequuntur, pro malo eſſe iudicandum. Quæ vero primis fiunt diebus hæmorrhagiæ, id quidem commodum habent, vt ad tempus, ſymptomatum, inprimis deliriorum, afferant leuamen, ſed criſin minus perfectam ſimul portendunt. Eæ potius laudem merentur, quæ copioſæ iudicationis tempore incidunt.

§. 26.

Alui fluxus in his febribus frequentes ſunt, atque ſic excreta, a ſtatu naturali quam maxime differunt; ſi generatim de lubrica aluo ſub his febribus ſententia ferenda eſt, eam nullo modo damnare poſſumus, potius, quum per eam corruptiſſima in primis viis hærens ſaburra eiiciatur, obſtipatæ aluo multo erit anteferenda. Quod autem ad prognoſin ex ſic excretis pertinet, dicimus, quod malum minentur, omnes nimis liquidæ deiectiones, ſpumoſæ, ſubcrudæ & cadaueroſo odore infectæ, aut, quæ coloris ſunt ex atro viridis, cinericei, luridi, rutiliue, pingues itidem

&

g) Coac. Præn. 330.

& oleaginosæ, & complures aliæ, *b*) declamatis malignis aut in corporis extenuationem tendentibus adeo consuetæ. Deinde qualescunque spasticæ, impetuosæ deiectiones, cum debilitate quadam, anhelitu, & cordis palpitatione factæ, inprimis, si debilitas ista animi deliquium minetur, aut tremores, vel alia mala signa simul adsint, pro pessimis censentur. Quam primum autem hæ deiectiones mutari incipiunt, ita vt colore, odore, modo excernendi, naturali conditioni nunc propius accedant, tunc æger protinus mitiorem experitur valetudinem, atque insimul soporum atque stuporum, (si forsan adsunt,) aut deliriorum persentiuntur decrementa. In malignas exanthematicas, quæ incidunt diarrhœæ, haud exigui discriminis sunt, quum exanthematum eruptionem impedire, vel eam iam factam facile reprimere queant. Neque tamen ideo subito supprimendæ sunt istæ, potius per blanda laxantia educendæ erunt corruptissimæ fœces, quo minus earum quid in sanguinem resorptum exanthematum indolem deprauare & omnem morbum grauiorem reddere possit.

§. 27.

Sudores, quos malignæ febres sibi vindicant, iniusto vtplurimum tempore incidunt, & particulares esse consueruntur. Dicimus autem particulares sudores, qui superiora inprimis in corpore occupant & pectus, aut solummodo extrema, reliquis partibus aut siccis, aut saltem multo minus sudore madentibus. Qualicunque tempore isti incidant, semper sunt mali, cum vrinis vtplurimum crudis & aquosis coniuncti. Peiores adhuc sunt sudores isti, insimul frigidi.

b) Legi merentur in hanc rem, quæ HIPPOCRATES habet in Coac. P. C. VI. de Deiectionibus.



frigidi. Qui per acceſſiones, inquit HIPPOCRATES, *i)* tuſſiunt, & tenuiter exſudant, ii maligne habere, iudicandi ſunt, & per experientiam compertum eſt, eosdem, ſi vel emergant, haud raro, lenta poſthæc febre opprimi. Iniuſto autem tempore incidunt ſudores, quando, ſub initio febris, *k)* aut exacerbationis febrilis conſpiciuntur. Symptomatici enim tunc ſunt iſti, quoniam nihil coctionis anteceſſit, atque hinc parum vel nihil tollitur de cauſſa morbi materiali, ſed tenuiſſima ſanguinis pars potius diſſlatur. Conſpirat crebra de febribus miliaribus obſeruatio, quæ tantum non conſtanter docet, lethalem euentum eſſe ſudorum profuſorum primis ſeptem vel octo diebus, apparentium, absque omni euphoria. Eos enim vtplurimum excipit circa ipſam expectatæ criſis periodum, ſumma extremæ cutis ſiccitas, neque copioſiſſimo calidorum potu, neque arte alia vlla ſuperanda; imo vero certam haud diu poſt imminentem mortem portendens. Iure tamen excipiuntur iſti morbi, quorum materia adeo tenuis eſt atque mobilis, vt primo ſudore poſſit diſſlari, tunc enim ſudores & in ipſo initio morbi præſentes, non ſunt pro malis habendi, neque vllo modo coërcendi, potius per ſudorifera prudenter data, & exactiſſimum regimen ſuſtinendi. Ex malignarum claſſe, huc in exemplum vocari meretur, mirabilis ille morbus, qui Ephemera Britannica, vel & ſudor Anglicus vocari ſolet, in illo, ſub ipſo morbi inuadentis initio calidam quaſi auram per membra diſcurrere ſentiebant

i) Coac. P. 112.

k) Dictum illud HIPPOCRATIS (Coac. P. 574.) conſentit: Sudor vna cum febre ortus, in acuto morbo, malus eſt. Et CELSVS recte monet, a ſudore per ſiccum calorem prouocando cauendum eſſe, ne quid horum vel in febre, vel in cruditate tentetur.

bant ægri, *l*) atque illico ſubitus & largus ſudor manare incipiebat, cuius profluxio ſi quando impediretur, actum erat de vita ægri; neque vlli tuto euadebant, niſi per viginti quatuor horas iſtiusmodi largiſſimum ſudorem experirentur. *m*) Quodſi citius abeſſe cœperit, breui nouum morbi inſultum patiebantur, vel in difficiles morbos incidebant. Itaque omnis quæ adhiberi potuit, requirebatur cura, vt vitari poſſet ſudoris ſuppreſſio, quam mox tumor liuidus corporis, & ſenſus quaſi acicularum ſub cute pungentium ſequebantur, vna cum præſentiſſimo mortis periculo. Denique & hoc adiicere liceat, quod haud raro in malignis *odor* aliquis peculiaris in *ſudore* obſeruetur. Sic in febre miliari, petechiis etiam, quum iſta exanthemata florent, ſudor quidam acidus & nauſeoſus obſeruatur, ſemper ſuſpectus, eoque his in febribus melior, quo minus acidus eſt, præſentibus ſcilicet iam exanthematibus. Circa mortem in compluribus malignis ſudoris odor ſingulari modo nauſeoſus eſt, & ſæpe cadaueroſus. Cæterum omnes fœtidi ſudores, cum vitiis imi ventris coniuncti eſſe videntur. Malignæ ſaltem febres & hecticæ euidens præbent rei argumentum.

§. 28.

Exanthemata, in malignis, (vti conſtat,) frequentiſſime apparent. Dantur febres, quibus per eſſentiam ſuam, & neceſſario exanthemata ſunt coniuncta, vti varioloſæ; dantur vero & aliæ, quibus exanthemata ſua vt interſint, neceſſe non eſt. Sic febres purpuratæ haud rariſſime ſine pur-

l) IOH. CAII de Ephemera Brittanica Tractatus.

m) Annon hic ſudor vere criticus eſt, in vigorem morbi incidens? Annon initium ac incrementum morbi, tam breui tempore abſoluuntur, vt id iam vigor ſit, quo ſudor initium ſumit?



purpura ſunt, certe præueniri poteſt his exanthematibus, per prudentem medendi methodum, *n)* ac viciſſim per ſiniſtram eam acutæ ſolitariæ febres in exanthematicas & malignas queunt peruerti. Neque plane incongruum videtur, ſi ad experientiam attendimus, exanthematum febrilium aliqua pro ſpeciebus criſium imperfectiorum habere, quæ coniectura ad purpuras, ad febrem miliarem, ſcarlatinam, morbillos & febrem vrticatam potiſſimum pertinet; alia autem, vti petechias, maculas vibicesque ab extrauaſatione tum ichoris cruenti tum humoris corrupti, forſan ex putri colluuie vitiatæ bilis & inteſtinorum ſaburræ ad cutem translatis, deducere. *o)* Notiſſima malignarum exanthemata ſunt miliaria iſta, ſcarlatina, eryſipelacea, variolæ mali moris, petechiæ &c. &, quos ſola peſtis ſibi vindicat, bubones atque carbunculi. Nimium eſſet, hæc omnia nunc deſcribere. Addimus potius præter hæc diuerſa, quæ in his febribus ſemet conſpicienda præbent exanthematum monſtra, nunc huic, nunc alii ex dictis, prouti indoles ſua eſt, propius accedentia. Maculæ nimirum variæ: aliæ rubellæ, profunde quaſi radicatæ, aliæ lenticulares & rubellæ, variolarum erumpentium inſtar aliæ, in flauos, luridos, & violaceos colores degeneres, aliæ protinus ſic erumpentes vibices, quaſi ex flagrorum ictu, factæ. Interdum & quaſi ex intertrigine cutis enatæ, ſingulares maculæ, ſeu potius extrauaſationes ſubcutaneæ, nunc magis circumſcriptæ, nunc latius diffuſæ, plerumque

n) Talem ſuadet methodum nouiſſimus, qui de Purpura ſcripſit, Auctor, celeberrimus CAR. ALLIONIVS, in elegantiſſimo tractatu de Miliarium origine, progreſſu, natura & curatione. vide p. 95. 96. &c.

o) Vide laudatam Diſſertationem de Seriori vſu euacuantium in quibusdam acutis p. 8. §. 5.

que cum inflatione quadam partis ſubviridis, lividæ aut violaceæ coniunctæ. Atque hæ ſæpe eodem ambitu cutem occupant, ac quæ cadauera apoplecticorum exhibent ſugillationes, & in artubus truncoque corporis ſunt conſpicuæ. Eiusmodi monſtra exanthematica plerumque non inflammationes, ſed extrauaſationes ichoroſæ, cruentæ aut corrupti ſeri ſunt, & in cadauerum ſectione in celluloſa ſubcutanea explicata, quin & in viſceribus inter duplicaturas membranarum effuſa conſpiciuntur.

§. 29.

Atque, vt aliqua de *Criſi* addamus, id iam monemus, quod perfectæ criſes in malignis febribus vix aut nunquam queant expectari. Eas potius illæ ſibi vindicant febres, quæ ardentiores ſunt ad contactum, & potiſſimum ex rigoribus ortum ducunt, quos proportionatus æſtus inſequitur. Magis etiam opportunus iis eſt robuſtior corporis habitus, corpus non ſenile, neque præcipuo aliquo viſcerum abdominalium, potiſſimum hepatis vitio afflictum. Hoc viſcus etenim, & quam conficit, bilis, vti ad coctiones phyſiologicas, ſic & ad pathologicas multum momenti adferre videntur. Quum autem hæc in malignis febribus quam maxime afflicta ſint atque corrupta, §. 8. & 9. mirum non erit, criſes imperfectas, recidiuas nempe ſuccedaneas, alias febres, chronicos morbos inſequentes atque metaſtaſes, qualescunque huic febrium claſſi adeo eſſe conſuetas.

§. 30.

Acutorum, inquit quidem optimus HIPPOCRATES, *p)* morborum, non omnino tutæ ſunt prædictiones, neque mortis

p) Aphor. Sect. II. 19.



mortis neque ſanitatis. Ideo tamen non vult, vt ſymptomatum ad prognoſin facientium in morbis hisce negligatur obſeruatio, qui potius ipſe tam egregias nobis tradidit prædictiones. Multo magis vellicat aures, quod ſapientius monet recentior Medicus celeberrimus, venerandus Præceptor meus MOEGLINGIVS, *q)* quando ſcribit: Exempla quotidiana monſtrant optima etiam ſigna nihilominus fallere, nequitiamque diebus iudicationis, vel ante hos quoque accedentem ex improuiſo non raro ægrum iugulare. Ex *ſignis* autem *bonis* in malignis febribus omnino eſſe iudicamus, ſi Icterus ſub diebus criticis demum incidit, *r)* niſi quidem durities inſit dextro hypochondrio; ſi ſomnus naturalis eſt, & virium facit reſtaurationem, ſi noctu inprimis incidit, & deliria ſedat, ſi reſpiratio facilis eſt, atque poſt vomitum æger leuius ſe habere ſentit, ſi ſurditas adeſt, aut obauditio ſub ipſo morbi ſtatu. Inſequuturæ etiam ſanitatis ſignum eſt, haud adeo frequenter annotatum, ſi per nocturnam quietem adultis ſeminis aliquid involuntarie elabitur. Neque minorem laudem meretur quælibet copioſa euacuatio iuſto tempore incidens. Hinc bonæ ſunt ſub vigoris ſtadio largiores narium hæmorrhagiæ, & per vulgarem viam, aut veſicam erumpentes hæmorrhoides, & quæ ſunt complura alia, huc referenda.

§. 31.

Sed *peſſimorum ſymptomatum* multo largior eſt copia. Eorum multa iam diximus in Semiotica febrium malignarum

q) v. Excellentiſſimi Viri ſolidiſſimus Tractatus Pathologico-Practicus exhibens febres continuas & intermittentes, p. 29.

r) Aphor. Sect. IV. 64. Coac. 121.

rum (§. 16. ſeqq.) liceat nunc alia adiicere. Nimirum initia ex ſoporibus, doloribus potiſſimum colli, capitis, & circa frontem, æque mala ſunt, quæ cum artuum tremore, aut & voce protinus mutata exoriuntur. Peſſimi etiam quid eſt & proximi delirii indicium, linguam protinus exareſcere, aut nigricantem eſſe, lento muco obductam, cum cruſtis quibusdam fuſcis ad labia, aut ægrum aperto ore iacere, idque conuulſiuum in modum diſtorquere. Neque minus multa ex oculis mala ſigna peti poſſunt. Hoc cenſu veniunt, ſi alter oculus minor apparet altero, aut ſi alteruter conniuet, altero tamen aperto, ſi ex ſemiapertis palpebris, album ſolummodo oculorum in conſpectum venit, & quæ ſunt eiusmodi plura, ab HIPPOCRATE in Coac. Prænot. C. de oculorum affectibus copioſius recenſita. Facies vel ſub progreſſu morbi non valde mutata, diuturnitatem quandam, tranſitumue in ſuccedaneas febres portendit, & multo magis, ſi ſubinflata, & quaſi cachectica ſit. Sed facies celerius extenuata, acutius morbi diſcrimen indicat. Subinde mutari *faciei colorem*, modo pallere, modo rubeſcere, ſpaſtici quid eſt, ſed cum deliriis atque ſoporibus coniunctum, acutum periculum portendit. Neque melioris iudicationis ſunt, ſi vox, quod ſæpe ſub primis iam morbi diebus fit, intercipitur, aut, ſi eadem conſuetâ obſcurior redditur, aut clangoſa, aut rauca, aut quaſi ex cauo emiſſa ſonora. Deglutitio vtcunque difficilis valde ſuſpecta eſt, quumque ægri, in leuando ſe ſe, anheli, tremulis manibus potum ſubito capiunt, cum celeri deglutitionis conniſu, id valde periculoſum & peſſime delirantium eſt. Quodſi vero potus regurgitet per nares, cum tuſſi quadam, aut ſi cum ſonitu aliquo in ſpecie vndoſo verſus inferiora, quaſi caderet in vacuum, potus deglutiatur, ſequen-



quentibus etiam quaſi ructuum ſimulacris, id quidem peſſimum eſt. *s*) Malum etiam denotat, ægrum continuo ſe ſe in lecto iactitare, ſemper vomiturire eundem, aut ſaltem vomendi conamina perſentire, in tuſſim dein atque ſcreatum deſinentia, fœces etiam atque vrinam clanculum elabi, inprimis, ſi id ſub comate, quod vigil vocant, euenit. Æque contemnendum eſt, ægrum manibus ſemper ante oculos oberrare, aut digitis floccos legere, aut extremis contremiſcere, tendinumque ſubſultum experiri, aut extremis frigere. *Singultus* etiam, prouti in tempus aliquod incidit, diuerſe eſt iudicandus. Dum etenim intra initium adeſt, adeo malus non erit, vtpote tum ſoli forſan ſaburræ in ventriculo tribuendus. Peior iam eſt ſub incremento morbi, ſed peſſimus idem, quando ſub ſoporibus apparet. Dolores fugaces alicubi ad pectus tendentes, pleuriticorum inſtar acutos, quin etiam inter initia cum fallaci ſputi cruenti ſimulacro ſemet exhibentes, deliria, vtplurimum lethalia, excipere conſuerunt. Præcordia dolentia ad contactum mollia quidem, ſed homine interim ſoporoſo, lethalia ſunt, & abſolute lethalia, ſi dura, tenſa, introrſum ducta æſtuoſaque fuerint, ægerque dolorem ex contactu, ſopore interim non excitatus, facie teſtetur, reſpiratione inſuper ex hypochondriorum preſſione quaſi intercepta, & in tuſſim vel ſingultum abeunte. Sed ne vltra præfixum terminum excurrat noſtra peiorum ſymptomatum recenſio, liceat nunc reliqua reticere.

§. 32.

s) Frequentis huius ſymptomatis rationes ſolicite expendit Cl. KLOECKHOF in opuſculis medicis, p. 161. ubi & alia huc reducenda ſymptomata egregie illuſtrat.

§. 32.

Denique tamen, ut proxime *insequentem mortem* præcurrentia allegemus symptomata, sequentia addere, non erit superfluum. Quo propius mors instat, eo fiunt ægri ponderosiores, iacent supini, incuruatis genubus & manuum digitis, soporosi sunt, alii floridam exhibent faciem, alii luridam atque collapsam. Nares amplius diducuntur, nasus acutus est, aures frigescunt. Spiritus per labia efflatur, bulbi oculorum subinde tremunt, abdomen spastice intumescit. In aliis febris inualescit, cum pulsu vehementissimo, atque hi quidem subito moriuntur, cum sudoribus plerumque circa superiora particularibus. Alii soporosi jacent, atque simul alterutro latere & sæpe dimidiato corpore resoluuntur. Tandem multi post varias spasticæ respirationis vices, inter quas per interualla strepitus in pectore exauditur, vehementer aucto hoc strepitu, interdum & conuulsorio modo atque furioso se erigentes, suffocantur a morte, apoplecticorum similes extrauasationes in cute exhibituri. Alii vero placide exspirant, lenta quasi morte per aliquot dies producta. Eadem quoque mors ex rubra purpura & miliari febre, pallescente nimirum antea purpura, ac retrocedentibus miliaribus vesiculis inter spasmos crebrius contingit. In malignis maculosis febribus, neque minus in petechialibus, erysipelaceis, iisque etiam haud raro, quibus nulla exanthemata fuerunt, mors cum hypochondriis reductis & duris, plerumque subitanea, & instar lethalis atque præcipitis animi deliquii, incidere obseruatur, postquam tamen vno alteroque die ante mortem multum resipiscentes ad se se redierint ægroti.



§. 33.

Pertractata sic malignarum febrium Pathologia, id nunc inprimis agendum esset, vt opportunam iis *Therapiam* adiungeremus, nisi quidem id in nimium extenderet nostram tractationem. Ne tamen omnem Praxin omittamus, de *vomitoriorum* in his febribus *recto vsu* aliqua nunc liceat addere. Initio igitur instituendae curationis iam dispiciendum erit, annon respiratio quaedam peripneumonica, cum pulsu duro atque exili, & praesentis alicuius pleuritidis adsint simulacra, cum sputis etiam interdum subcruentis, & in genere explorandum, an non aeger, nimio sanguine sit impletus, atque num symptomata adsint, vltra modum exaestuantis sanguinis? Quodsi enim horum aliquid obseruaretur, sanguis omnino ante datum vomitorium statim esset emittendus. Sed, si horum nihil apparet, protinus a vomitorio curationis fieri potest initium. Diximus etenim in prioribus, non facile inter initia harum febrium aliquid vitii in sanguine misso deprehendi, quum sanguis per malignarum & exanthematicarum initia integerrimo plerumque sit quam simillimus. Potius itaque tunc ad corruptam humorum colluviem, in primis viis haerentem in curatione erit attendendum. Suadent id euidentia symptomata, quae nisus naturae, in euacuanda hac saburra laborantis, verissime euincunt. *t*) Sic inter infantes vix aliquis morbillis, variolis, purpuratisque febribus corripitur, quin statim nauseae vrgeant, inque vomitus intensiores abeant. Atque licet id adultiori aetate constitutis, non aeque fre-

t) Vid. Cel. WAGNERI methodum nouam medendi in malignis. In der Hamburgischen vermischten Bibliothek, II. Band 2. Stück, p. 224.

frequenter contingere videatur, quum generatim in tenella ætate naturæ nutus & ſalutares commotiones plenius adhuc atque melius eueniant; *u*) tamen crebrius certe, quam vulgo putatur, & in iſtis ſe idem indefeſſo obſeruatori exhibebit. Inſignis itaque vtilitatis eſſe poterit, hoc tempore datum vomitorium. Præmunitur etenim hoc modo ægrotus, ab horrendis illis ſymptomatibus, ex corruptiſſimorum in ventriculo, locisque vicinis hærentium humorum illuuie ortum ducentibus, immo vero & fieri poteſt, vt educta iſta illuuie, morbus iam in primis ſuis initiis ſuffocetur, quum alias iidem humores, ad ſanguinem translati, vel mora ſua peiores facti, admodum malignam indolem morbo potuiſſent inducere.

§. 34.

De eo itaque dubium non eſt, quod initio malignarum emetica conueniant; ſed, an vlteriori morbi progreſſu, pari iure iſta poſſunt admitti? Equidem ſi experientiam conſulimus, & magnorum virorum conſenſum, negare id non poſſumus. Tantum enim abeſt, vt ſerius paullo quoddam Ipecacuanhæ, aut tartari emetici præbium vires vlterius deiiciat, vt potius eas augere videatur: Nam & deliria, ſi non quieſcunt, minuuntur tamen, magis recreatus æger apparet, ſi vel aluus ſoluta inde fuerit. Ipſe SYDENHAMVS, vir adeo attentus in morborum naturam, a ſeriori emetici exhibitione minime abhorruit. *x*) „Quod ſi nobis, inquit enim, vt ſæpe fit, ſero accerſitis, non licuerit, emeticum propinando, ægrorum ſaluti ſub febris initium conſulere: certe tamen conuenire exiſtimauerim, vt quouis morbi tempore illud fiat, modo

u) Solidiſſimas huius canonis rationes addit laudatus Vir l. c. p. 226.

x) In operibus medicis, T. I. edit. Geneu. pag. m. 33.

modo vires eo vsque morbus non attriuerit, vt emetici vim ferre iam amplius nequeant. Ego quidem die febris duodecimo vomitum imperare non dubitaui, etiam cum æger vomiturire desiisset, neque sine fructu: eo namque diarrhœam sustuli; quæ sanguinem in peragenda despumatione impediuit; quin & serius idem facere minime dubitarem, nisi virium attritarum ratio prohiberet." Quod hic de diarrhœa dicit egregius Auctor, id haud sine necessario limite in febribus malignis est intelligendum. In his etenim fieri sæpe consueuit, vt diarrhœa aliqua serius appareat, quam, tum ista biliosæ putrilaginis incrementa, tum metastases ad intestina, naturam ad vindicias quasdam per aluum lubricam prouocantes efficiunt. Hoc saluberrimum naturæ conamen inuertere, quam maxime temerarium esset. Omnis itaque emetici vsus sub ista diarrhœa erit excludendus.

§. 35.

Quæ autem tam sera fit vomitorii exhibitio, vt iam lethalia signa adsint, eam nullius vsus esse, Auctores testantur. Eiusdem sententiæ est clarissimus BRENDELIVS in Dissertatione de seriori vsu euacuantium in quibusdam acutis. Sera nimis, inquit ibi, *y)* & prospiciendis signis lethalibus exhibitio, minime conuenit: si tamen inter prognoses de rebus fere conclamatis, proponendum adhuc censuerit rerum vsu exercitatior: aut nihil agere prorsus, deleta iam vi neruorum ventriculi obseruabit, aut vno alteroque in vomitum molimine, inanem potius & malignam spem refocillare, quam quod reliquum vitæ est, extinguere. Liceat autem exemplum adducere, in quo non quidem quoad numerum

y) pag. 25. §. 11.

merum dierum, sed potius quoad pessimorum signorum praesentiam, vomitorium nimis sero adhibitum posset videri, quod tamen salutarem, vt ipsi vidimus, praebuit effectum. Vir, nimirum 30. circiter annorum febre putrida laborans, inde a morbi initio, tantam iam exhibuit pessimorum symptomatum congeriem, vt iam tum morti videretur proximus. Praeter enim, quod ardor in cute insignis esset, pulsus frequens & paruus, & respiratio valde laboriosa, vox etiam anxia atque delira. Comate etiam oppressus iacuit, floccos legit, abdomen tensum fuit, lingua arida & fissa, oculi in alba parte rubebant, turbidi erant, atque semper ad dimidium aperti, fœces atque vrina, inscio ægro, emittebantur. z) Virium deiectio vero iam 7. die tanta fuit, vt dummodo in lecto erigeretur, mox imminentis deliquii experiretur minas. Quum & dicta, & alia symptomata, vsque ad 13. diem continuata fuerint, hoc ipso die demum ipsi vomitorium insequenti modo fuit exhibitum.

℞. Tartar. emetic. gr. ij.
Dissolu. in aq. font. ℔i. D. ad vitr. S.

Oefters davon zu etlichen Löffeln zu nehmen.

Tanti vsus fuit hoc remedium, vt, post excitatum inde largissimum vomitum, viridis atque pessime olentis bilis, atque atras per aluum fœces insequutas, tetri ad modum odoris, æger ex sopore expergefactus, ad rationem perueniret, & proximis diebus euidentem exhibe-

z) Neque ideo semper valet monitum illud, in modo citata Dissertatione p. 15. traditum. Male nimirum proponi qualecunque euacuans, quando in malignis exanthematicisque, feces & vrina iam elabuntur non sentienti.



hiberet extremorum ſymptomatum remiſſionem, atque ſic demum accedente vlteriori conſueta curatione fuerit reſtitutus.

§. 36.

Vomitoria autem, aut ſub initio exhibeantur, aut ſerius, ſub declinante febris exacerbatione, vel ipſa remiſſione, quam optime dantur. Atque licet quidem hæc tempora, in malignis febribus nobis erratica videantur, obſeruabimus tamen, non deeſſe plane his ipſis typos ſuos, atque periodorum ordines, dummodo ad exacerbationes, plerumque veſpertinas, ſatis æquabiles & manifeſtas attendamus: memores, remiſſiones primorum dierum ſubobſcuras tantiſper eſſe poſſe, & exiguis quaſi exacerbatiunculis occupari. Sed poſt tempeſtive datum vomitorium, hæ ipſæ luculentiores reddentur, & inſequentibus exacerbationibus maior erit ordo. Denique non id pro unico effectu emeticorum habemus, vt inde primæ viæ a contenta ſaburra liberentur, quod & per ſurſum factam euacuationem fieri conſueuit, & per aluum laxiorem redditam fieri poteſt. Sed id quoque notandum erit, laceſſere vomitorii ſtimulos & excitare quaſi torpentes, potiſſimum circa concurſum paris vagi, & intercoſtalis neruos: atque ideo ex conſenſu in vniuerſo neruorum ſyſtemate diſpoſitionem inferri poſſe, quæ a naturali nunc propius abeſt, Unde videmus, ſi vel nihil euacuationum productum fuerit per vomitorium, licet ſub iuſta conditione ſit datum, leuatos tamen inde vtplurimum ægros conſpici.

Nota: p. 5. not. d. loco: in prænot. XLI. ſubſtituendum eſſe: in fine libri de diebus criticis, & p. 6. not. e. loco: Coacæ Prænot. ponendum eſſe ſimpliciter: *Prænotion.* vel *Prognoſtic.*

EPILO-

EPILOGVS PRAESIDIS:

Interdum etiam vulgus verum videt, venerabilis dixerat antiquitas, & recentior agnoſcit ætas; ea ſcilicet populi vox eſt, quæ, quod æquum eſt aperte, ſequiturque lineas conſcientiæ Diuino calamo inſcriptas, non humanis extinguendas vmbris, in omnibus confirmat exemplis. Neque contradicit huic obſeruationi Medicorum experientia, vbi de vita in humano genere conſeruanda quæſtio agitatur, quamuis enim heic Epicuri cohors cum Iuuenali clamet:

Summum crede nefas, animam præferre pudori,
Et propter vitam viuendi perdere cauſas,
Dignus morte perit, cœnet licet oſtrea centum
Gaurana, & Coſmi toto mergatur aheno.

Ipſe tamen crebrior ægrorum in praxi medica obuiorum aſpectus aliam prorſus etiam ipſorum thraſonum horum faciem exhibet, vtcunque ante adiaphori viſi fuerint, etenim tum demum ad ſeria hi ducunt ioci, hærentes animo propter gratiam, quam præ ſe ferunt. Si quid autem eſt, quod ea de re monere Medicum poſſit, eſt certe MALIGNARVM FEBRIVM *contemplatio, quæ, vt ob doloſam indolem, ita propter inſignia pericula, quibus cunctæ adſociari ſolent, omni ex parte Medicorum attentionem prouocant, quin etiam pœnitentiam aliis extorquent inuitis, lecto malignis laborantium adſtantibus, leuitatis Chriſtiano indigniſſimæ, quæ fatuo ethnico ineuitabilis fati titulo mortem ſpernere iubet.*



iubet. Et ſuppetunt ſane febres hæ argumentum diſſertationis medicæ grauiſſimum, quod, vti morbus ipſe, circa quam verſatur, Medicorum, omniumque hominum ſuperbiam proſternit, ita & ſcribentem ſuum hiſtoricum ſua ſponte prohibet, quo minus bullatis turgeſcat pagina nugis. Equidem huius generis themata maxime amo, vtpote adeo coërcendo Medico faſtui, hominique deprimendo apta, & congrua, vt optarem certe, frequentius his indulgerent Medici meditationibus! Habent vero præterea elaborationes hæ inſignem admodum pro vniuerſo humano genere vſum, ſi ſolo etiam viuere ſtudeant rapto. Solam cogita ætatem, cui hæ inſidiantur crebro febres? Quot non eripuit nobis, & eripiet porro furtiuum hoc febrium genus Viros maxime meritos de vniuerſa Republica, tam litteraria, quam alia? Quantum igitur operæ pretium reportant, qui priuatis meditationibus has proſequuntur febres? Plus profecto laudis reportant, qui doloſum expiſcari hoſtem ſciunt, quam qui alium vincunt, aperto marte agentem. Quare Tuum tanto minus reprobare conſilium poſſum, Nobiliſſime Domine Candidate! quod hoc Tibi thema ſelegeris. Demonſtras ita, non Te grauiora metuere Medicorum problemata, demonſtras ita, ſeria Tibi placere; neque habeo, quod moneam contra momenta, quæ Tuam prouocauere attentionem, vrges præcipue malignarum febrium pathologiam, primoribus tantum labiis therapiam tangis; præter priuatas enim Tuas rationes, quæ pathologiæ heic locum fecere præ therapia, malignæ ſane febres ita videntur eſſe compa-

ratæ

ratæ, vt, ſi quod aliud morborum genus, multo maiorem noſtro certe tempore inuitent attentionem, quoad exactam ſuorum phænomenorum hiſtoriam, quam therapiæ reſpectu; mihi certe hæc facilior multo apparet, ac illa. Eſt profecto mira phænomenorum, quibus diſtinguunt ſe, multitudo, eſt in ſubiectis variis hoc morbo correptis plane ſingularis malignarum facies, diuerſa forma, & alius effectus, rarusque alibi phænomenorum diſſenſus, quapropter difficilius etiam, abſtrahere ab exemplis multis, & omnibus ea, quæ poſſint inſeruire generali cuidam febrium harum, & prudenti pathologiæ, ad omnes applicabili malignas febres. Operam Tu dediſti omnem, vt nihil omitteres eorum, quæ ad ſaniorem hanc pathologiam pyreticam pertinent, & ita quidem, vt vix habeam, quod addam. Patere tamen, vt cum nullibi Tuas interturbare induſtria plurima collectas obſeruationes, & ſollicite digeſtas voluerim, aliquas adiiciam alias, quæ non in hac materia nullius eſſe momenti videntur. Fidelem quidem agis hiſtoricum in aſſignandis phænomenis harum febrium omnibus, quibus tanquam ſignis vti poſſimus, vtpote prudenter præuidens, in ſolidiſſimo hoc fundamento therapiæ ſanioris cardinem verti, prout autem in aliis noſologiæ ſpecialis exemplis, ita in hoc quam maxime deſiderauerim diſtinctam eorum determinationem, quæ mox in principio morbi malignitatis dolum aperiant, ſummique imminentis periculi grauitatem certo doceant. Quid enim, ſi expectare velis omnes malignitatis effectus, e quibus Dauus etiam coniiciat, adfuiſſe malignam febrem, ſerius profecto

ſapient Phryges, & morbum cognoſces, tum demum, cum certo docta plus valet arte malum. Non dubito ſane, febrium harum prima initia, licet in aliis alia ſint, in omnibus tamen quædam habere communia phænomena, quæ malignitatem prodant, & ad generalia quædam porismata reduci poſſint, applicabilia vbique infallibiliter, neque dubito, quin maximæ vtilitatis in ipſa therapia foret, hæc bene notare ſibi porismata, ſed non diffiteor, facilius e Nilo aquam bibere canes, ac firmos figere liceat huiuscemodi canones. Neque tamen deſperandum, id fieri poſſe, operæ pretium eſſe, vt fiat, res ipſa plus quam euidenter loquitur; quoties, quæſo, labilis interim hora, diesque ante ruit, quam certi fuerunt Medici, ſubeſſe malignam febrem, quæ ſua per initia præteruiſa medelam reſpuit omnem. Quantum obſeruationibus fidere meis poſſum, redit res ad breue quoddam dilemma, cuius ſi non omnia, certe quædam propria ſollicita praxi arripuiſſe me cornua exiſtimaui. Scilicet, aut morbus inuadit, pergitque mitiſſimis cum ſymptomatibus, vno tantum, alteroque conſtanter moleſto, neque quoad acerbitatem ſuam, & vehementiam combinando e legibus etiam ſaniſſimæ pathologiæ cum reliquis, aut plura habet mala ſymptomata, eaque a prima ſua inuaſione, ſimul vero pauciora phænomena bona, quoad vrinam, aluum, appetitum, & alia, quæ comparata cum toto eminentem prorſus eius a partibus diſſenſum clamant, & plus quam optima eſſe videntur, iurares, vix eſſe poſſibile, vt reliquis adſtent. Addant reliqua magis exercitati, & acuti Medici; non tamen præterire

poſſum,

possum, eos frequentius has pati malignas, qui per primos iuuentutis annos nimiis excessibus in Baccho, & Venere, aut vtrobique, vel etiam, raro studiosae iuuentutis culpabili errore, immodica studiorum pertinacia, vel non imputando, in sexu praesertim sequiore, dispendio multi boni sanguinis per haemorrhagias varii generis, & quae sunt alia similia, systema neruorum viribus olim emunxerunt nimium, licet longa post interiecerint quietis interualla. Neque forsan, si cogites influxum in neruos, omni culpa vacat insensibiliter admissa diu atmosphaera pigmentorum variorum, praecipue simul saturninorum, quam recenter iis colorata spirant conclauia, in quibus versamur, & acuit forte noxam inde contractam cohibita, & mutata saepe hinc perspiratio insensibilis, praesertim, si ad sudorem vsque multoties promota fuerit, quemadmodum nouimus, has anomalias e peruerso frequenter admissas regimine solas viam huic sternere malo posse. Praeterea vero sunt alia, quae circa malignas has decisa optarem! Qualis proprie status est viscerum sub iis affectorum praeternaturaliter? num ad gangraenam ea tendunt? num, haec vbi fiunt, tota sanguinis alteratur massa, & omnis neruorum compages in perniciem corporis conspirat? & quomodo? vnde singularis, toties in multis occurrens materiae sudoris nauseosus, quandoque acidulus, & saepe subputridus, cadauerosus odor? humorumque ipsius cadaueris recentis impetuosus orgasmus, per omnes patentes portas, cruo-



rem, aliosque latices expellens? Verum de tabula calamum reuocant grauiora, id est, vota pro Tua salute sincerissima! coronat studiorum Tuorum academicorum opus finis, eum summa cum laude istis imposuisti, faxit supremum in Cælis Numen, vt fructus eorum legas vberrimos, Tua dignos industria, mentisque nobilitate, inuenies his dum frueris, quantum iuuet didicisse fideliter artes, quam sit iucundum deliciis gaudere humanis, quas vtinam Tibi sat cito & bene augeat Diuina Prouidentia optata Sparta! Perge me amare, mutuamque a me amicitiam non fucatam expecta! Scripsi Tubingæ Idibus Iunii

A. R. S. MDCCLVIIII.

